

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1047 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1047 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1047 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1047 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1047 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1047 4°

4.-375.

LN 1047
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1047 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1047 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1047 4°

THESES

SVMMAM DOCTRINÆ COELESTIS DE NOVI ET VETERIS TESTAMENTI consensione atq; diuersitate continentes; quas, præside D. ANDREA LAVRENTIO, M. IACOBVS MATTHIAE gradu Doctorum in sacra Theologia ornandus, publicè, Deo iuuante, ad 3 Maij defendet: Anno 82.

HAFNIAE

Impressit Andreas Gutteruitz.
Anno 1582.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1047 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1047 4°

THESES
DE VETERE ATQVE NOVO TESTAMENTO.

I.

VTiliſſimam doctrinam ac ſcitu inprimis neceſſariam de conſenſione atq; item diſcrimine veteris & noui Teſtamenti, quantum quidem Deus dederit, explicaturi: quatuor capita ordine tractabimus.

II. Eorum primum erit vocabulorum quorundam huc pertinentium declaratio: alterum vtriuſq; Teſtamenti deſcriptio: tertium conuenientiam atq; item diſcrimen vtriuſq; oſtendet: quartum erit veræ ſententiæ antitheſis.

DE PRIMO.

III. Vocabulum Hebraicum Berith, quod vel à cædendo, vel à comedendo, vel eligendo deductum volunt Hebraicæ linguæ docti, non eodem modo Græci & Latini interpretes Bibliorum, quorum ſcripta ad nos peruenere, reddiderunt.

IIII. Septuaginta enim, Euangeliſtæ & Apoſtoli Διατίθημι, quæ vox diſponendi & ordinandi notionem habet: Aquila verò & Symmachus, Hieronymo autore in II. caput Hieremiæ, συντίθημι illud interpretati ſunt.

V. Διαθήκη propriè pactum, cuius conditio ex paciſcentis arbitrio pendet, ſignificat, vt lib: I. Moſis, cap: 21. Ponam Διαθήκην

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1047 4°

meam &c. aliàs verò pro externo pacti testimonio vsurpatur vt eiusdem libri cap: 17. Eritq; signum pacti inter me & vos.

VI. Latini Testamentum, fœdus & pactum vsurparunt in Hebræo illo interpretando, ac ferè hunc in modum à Latinæ linguæ eleganter doctis solent discerni.

VII. Testamentum, quod à contestando deductum volunt, est, propriè loquendo, nostræ voluntatis iusta sententia de eo, quod post mortem nostram fieri voluerimus: is verò qui testamentum condit, testator appellatur.

VIII. Fœdus vel à fide vel feriendo deriuatum, est cùm partes quæ anteà dissenserant, in hoc vel illud consentiunt, qua voce disertiores in Hebraica interpretanda vtuntur: Διαθήκη vtramq; latinam testamentum nimirum & fœdus comprehendit.

IX. Pactum à paciscor vel pangendo factum, est duorum vel plurium in idem placitum consensus: ac differt à pollicitatione quæ est solius offerentis promissum. Hæc de primo disputationis nostræ capite.

DE ALTERO.

X. VETVS TESTAMENTVM est pactum sacerdotio Leuitico iunctum, & sanguine hostiarum sanctum: quo vt Deus sese ad Israëlitis Cananitidem regionem cum certa politiæ forma, eiusq; seruandæ conditione, dandum obligat; vt sit certus locus & stirps in qua nasceretur Messias, doceret, ederet testimonia, offerret victimam, mortuus resuscitaretur: quibus demum peractis, illa politia esset interitura: ita populus Hebræus sese

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1047 4°

ſeſe vel ad legem ſeruandam, vel eius violatæ pœnas luendas obſtringit.

XI. Vt autem hæc deſcriptio melius & rectius intelligi queat, analyſi quadam eius præcipua membra, quæ ampliſſimam doctrinam reſoluta continent, declarabimus.

XII. Primùm, Genus ipſum ſeu mentio pacti vel fœderis commendat Dei ſummam erga nos bonitatem & φιλανθρωπίαν, ita ſe demittentis, vt dignaretur cum hominibus certis conditionibus paciſci atq; fœdus inire.

XIII. Deinde fit mentio ſacerdotij Leuitici, quod interpretibus Euangeliſtis & Apoſtolis, ac nominatim autore Epiſtolæ ad Hebræos ſcriptæ, typus atq; vmbra ſacerdotij Chriſti fuit, quemad: mox luculentius declarabitur.

XIIII. Tertio indicatur huius fœderis obſignatio, quæ ſanguinis aſperſione fiebat, de qua Moſes libri 2. capite 24. Accipiens reliquum ſanguinem ſparſit ſuper ipſum populum ac dixit. Ecce ſanguinis illius fœderis quod pepigit Iehoua nobiſcum ſecundum omnia verba hæc.

XV. Quarto exponitur forma pacti, quæ eſt mutua obligatio Dei & Hebræorum. Nam in quouis fœdere certæ pactiones, leges & conditiones vtrinq;, quod notiſſimum eſt, requiruntur.

XVI. A parte quidem Dei eſt Cananitidis regionis promiſſio, & certæ politiæ ſub conditione obedientiæ conſtitutio: à parte verò Hebræorum eſt ad Deo, ex præſcripto legis per Moſen vt ſequeſtrem datæ, obediendum, obligatio.

XVII. Cuius quidem ſtipulationis & reſtipulationis,

loco, de quo paulo antè dictum est, sic meminit Moses, Cùm acceptum illum librum fœderis legisset, audiente populo, ac dixisset, Quicquid edixerit Iehoua faciemus & ei auscultabimus. Quò respexit Dauid Psal. 105. dicens, dedit illis regionem gentium vt custodirent statuta eius & leges eius conseruarent.

XVIII. Ad conditionem obedientiæ pertinent quoq; amplissimæ illæ promissiones & tristissimæ comminationes quæ extant Leuit: 26. & Deut: 28.

XIX. Quinto exponitur quo fine illa politia esset constituenda: vt nimirum esset certus locus in quo doctrina de promisso Messia seruaretur: sciretur ex qua stirpe nasciturus esset: quo etiam consilio lex illa, qua filia hæres iubetur intra paternam tribum nubere, ne cum ea hæreditas de tribu in tribum demigraret, lata est, 4. libro Mosis cap. 36.

XX. Bethlehem Saluatoris nostri patriam futuram prædixit Micheas cap: 5. Tu Bethlehem Ephratæ minima vt sis in ducibus Iudæ, ex te mihi prodibit futurus dominator.

XXI. Eundem verò ex Iudæ posteris nasciturum Moses Gen. 49, Prophetæ, vt Psal. 89. & 132. Apostoli, Apocalyp: 5. Et Euangelistæ qui Messiæ genealogiam accuratè & verè scripserunt, testes fide digni sunt.

XXII. Sexto indicatur eius politiæ, exhibito demum Messia, abolitio & interitus, qui est iræ diuinæ in rebelles illustre inprimis exemplum, de quo nobis plura mox dicentur.

XXIII. Postremum superioris descriptionis membrum,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1047 4°

brum, est de populi Israëlitici restipulatione. Omnis enim lex vel ad obedientiæ præstationem, vel pœnæ luitionem obligat.

XXIIII. Vetus autem Testamentum propriè acceptum de legis promulgatione atq; Mosaicæ politiæ constitutione intelligendum esse, luculentis Ieremiæ & Pauli optimi Mosis & Prophetarum interpretis, testimonijs euidenter & perspicuè declarari atq; euinci potest.

XXV. Sic enim Ieremias cap. 31. Pangam cum domo Israëlis & Iudæ fœdus nouum non secundum illud fœdus quod pepigeram cum maioribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos è terra Ægypti: Indam legem meam menti eorum & cordi eorum inscribam eam, & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus, nec docebunt vltrà vnusquisq; proximum suum. Legetur etiam Ezechiel cap. 36.

XXVI. Paulus ad Galatas scribens 4. capite idem testatur. Hæc sunt duo testamenta, vnum quidem à monte Syna in seruitutem generans quæ est Agar: seruit autem cum filijs suis, quæ autem sursum est Hierusalem libera, quæ est mater omnium nostrûm.

XXVII. Quibus verbis Apostolus docet pactione illa lata in Sina extra terram promissam Vetus testamentum: alteram verò in Sione Christi nimirum sacrificio sancita nouum significari: qua quidem typica similitudine docere voluit Paulus populum Noui testamenti liberum à Veteri, hoc est, lege Mosaica & Ceremonialibus legibus.

XXVIII. Hoc Testamentum ideo VETVS appellatur,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1047 4°

pellatur, primùm, quòd seneſcens ad interitum vergeret, atq, vt Auguſtinus loquitur, per nouum abrogandum eſſet: Deinde quod inſtaurationem humani generis, quæ Chriſto exhibito fieret, anteceſſerit: Poſtremò, quòd Vetus natura, legis iudicio premenda eiuſq, diſciplina coercenda eſſet.

XXIX. NOVVM TESTAMENTVM eſt pactum æternum ſacerdotio Chriſti annexum, eiuſq, ſanguine, interpoſito iuramento, ſancitum: quo vt DEVS ſe populo ſuo, ob Chriſti meritum atq, interceſſionem, æterna bona daturum obligat: ita populus ei ex fide obedientiam reſtipulatur.

XXX. Hæc quoq, deſcriptio in ſua membra euoluta, doctrinam longè maximi momenti, & conſolationem pijs animis aduerſus omnis generis tentationes efficaciſſimam afferet, quod paucis quidem à nobis indicabitur.

XXXI. Primùm appellatur hoc teſtamentum pactum, quòd Deus nuda promiſſione minimè contentus ſeſe ad fœdus cum hominibus faciendum obſtrinxerit. Teſtamentum verò dicitur, quod hoc pactum morte ſponſoris ſanciendum eſſet.

XXXII. Deinde fœdus illud æternum eſſe docet Rex & Propheta Dauid Pſal. 110. Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec. Et Ethan Ezraites. Pepigi, inquit, fœdus cum electo meo, vſq, in æternum ſtabiliam ſobolem tuam.

XXXIII. Tertio ſancitum ſanguine & morte filij ſui, teſtimonio ſunt typi, de quibus Moſes & Epiſtola ad Hebræos: Vaticinia Prophetarum vt Zachariæ 9. Tu quoq, ſeruaberis ſanguine fœderis: inſtitutio ſacroſanctæ Cœnæ Domini & hiſtoria deniq, paſſionis Chriſti. Confir-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1047 4°

XXXIIII. Confirmatio verò huius fœderis quæ ſanguine Chriſti facta eſt, oſtendit eius victimæ ad eluenda & expianda omnia omnium hominum peccata, quantumuis illa fuerint atrocia, modò eam fide ſibi applicarint, efficacitatem: quod etiam Iohannes typum exponens dulciſsimè declarat, Sanguis, inquiens, Ieſu Chriſti filij eius purgat nos ab omni peccato.

XXXV. Quarto, immutabilitas & conſtantia voluntatis Dei in fœdere cum ſuis inito ſeruando, iuramento ipſo declarata eſt: de quo Dauid Pſal 110. Et Tertulianus præclarè his verbis nos erudit. O beatos quorum cauſa iurat Deus: ô miſeros ſi nec iuranti Domino crediderimus.

XXXVI. Quinto, indicatur qualia nam bona DEVS ſe daturum ſuis ſe obſtringit: æterna nimirum, vt ſunt remiſſio peccati, imputatio iuſticiæ Chriſti, Sanctificatio, vita æterna, & ſummi deniq; boni ſempiterna perfruitio, idq; ob meritum filij ſui atq; eiuſdem interceſsionem.

XXXVII. Sexto, quidnam legatarij & ſcripti hæredes ſuo teſtatori viciſsim debeant, hinc expreſſum eſt. Quod etiam Zacharias in ſuo Cantico hiſce paucis verbis complexus eſt: vt ſine metu è manu omnium inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus ipſi cum ſanctitate & iuſticia coram ipſo cunctos dies vitæ noſtræ, hoc eſt, pietate in Deum & charitatis officijs erga proximum.

XXXVIII. Ad hanc ſtipulationem reſpicit Petrus baptiſmum noſtrum ἐπερώτημα conſcientiæ bonæ vocans: Vnde

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1047 4°

etiam consuetudo illa in sacro cœtu interrogandi infantem baptizandum, pro quo susceptores, quos Græca Ecclesia διαδόχους vocat, respondent, emanauit.

XXXIX. Huius quidem noui testamenti seu fœderis, etsi prima mentio in historia Abrahæ expressè scripta extet, idq; primum generaliter, id est, seminis Abrahæ adoptione considerata: deinde peculiariter cum Dauide sancita 2. Sam: 7: tamen res ipsa iam inde vsq; à mundi initio fuit, quemadmodum pluribus pòst declarabitur.

XL. Epitheton NOVVM huic fœderi ob has præcipuè causas tribuitur. Primùm, quòd promissio post lapsum Adami & Euæ in peccatum, mox edita fuerit: Deinde, quòd noua & æterna bona credentibus offerantur: tertio propter nouitatem Spiritus qui hominem nouum sanat à vitio vetustatis, August: libro de litera & Spiritu, cap: 20. Quarto, quòd libertas inuocandi Deum noua ipsius populo concessa sit. Ioh. 4.

DE TERTIO.

XLI. Tertium caput nostræ disputationis est de Conuenientia, quæ duorum Cerubinorum typo, quorum vnius ad alterum facies obuersa fuit, significata est, atq; diuersitate vtriusq; testamenti, de quibus, vt iam dicatur, ordo ipse à nobis postulat.

XLII. Primùm, in causis ipsis efficiente nimirum & finali consentiunt. Vtriusq; enim efficiens est ipse Deus, Act. cap. 7. finis verò Christus. Rom: 10. finis legis est Christus, hoc est, homi-

nes

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1047 4°

nes vulneratos ad Christum, qui vt solus iustificat credentes, ita solus tollit peccatum & mortem, saluandos mittere.

XLIII. Deinde in ipsa doctrina, modo eius præcipua capita spectentur, conueniunt. Nam eadem est patrum & nostræ electionis ratio, eadem doctrina legis & Euangelij, eadem fides, idem denique Christus in vtriusq; testamenti Ecclesia regnat. Rom. 1. & 3. asseritur fidei iusticiam, quæ per Euangelium ipsum docetur, testimonium habere à lege & prophetis. Act: 17. affirmat Paulus se nihil quicquam dixisse extra ea, quæ Prophetæ & Moses futura prædixerant.

XLIIII. Discrimina verò vtriusq; fœderis plura sunt, non quidem ex re ipsa: Est enim vnum & perpetuum Testamentum Christi: Heb: 13. Christus heri & hodie idem est & in secula: sed ex qualitatibus & circumstantijs quibusdam petita, quorum aliquot recensebimus.

XLV. Primum à temporis circumstantia sumitur: illud enim certi temporis, hoc verò nullis temporis spacijs circumscribitur, quemadmodum paulò antè à nobis quoq; dictum est.

XLVI. Nam Mosis Politia, exhibito Christo, desinere debuit. Danielis cap: 9. Luc: 16. Lex & Prophetæ vsq; ad Christum. Gal. 4. Heb. 6. 2. Cor. 3. Fœdus verò nouum sempiternum fore idem Daniel prædixit: adducetur, inquiens, iusticia sempiterna.

XLVII. Alterum discrimen facit ratio Oeconomiæ & modus patefactæ doctrinæ quæ in veteri obscurior & quasi quibusdam latebris & figuris inuoluta: in nouo verò sunt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1047 4°

omnia illustriora & intelligentiæ nostræ magis exposita, quod testimonijs aliquot scripturæ confirmabimus.

XLVIII. Daniel enim scribit cap. 7. libros apertos. Lucas cap. 10. Multos reges & prophetas voluisse videre quod Apostoli viderunt. Petrus 2. Epistolæ cap: 1. Habemus firmiorem propheticum sermonem cui rectè facitis quod attendatis veluti lucernæ splendenti in obscuro loco. Quibus verbis significatur clarior & apertior cognitio quàm sub legis vmbris. Quod sibi etiam volunt verba illa Ieremiæ, Omnes scient me à minore inter eos vsq; ad maximum. Matth. 11. Qui minimus est in regno cœlorum maior est eo.

XLIX. Nec tamen ex eo concluditur plenam lucem doctrinæ cœlestis in hac quidem vita hominibus posse contingere: ex parte enim cognoscimus 1. cor: 13. sed, instituitur collatio eius cognitionis quæ sub lege erat cũ ea, quæ in Euangelio patef. ita est.

L. Tertium discrimen ab effectis petitur, illud enim mortis: hoc verò vitæ ministerium est, 2. Cor: 3. illud timorem seruitis: hoc verò spiritus adoptionem hominum animis affert. Rom. 8. Gal. 4. Heb. 12.

LI. Quartum sumitur à promissionum differentia. Illud enim promissiones ad huius vitæ vsum pertinentes disertius expressas habuit: hoc verò est promissio bonorum spiritualium & sempiternorum: cui tamen veluti appendix quædam & ἐπίσαγμα victus & defensionis promissio additur. Matth. 6. Primùm quærite regnum Dei & iusticiam eius, &c.

LII. Illud quoq; sciendum est, terrena illa promissa, Iudæis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1047 4°

dæis fuisse Cœlestium promissionum velamenta & symbola quædam, quemadmodum ostendit Paulus. Credidit Abraham Deo & imputatum est ei pro iusticia. Rom: 4. Et Epist: ad Hebræos, mortui non sunt adepti promissa: sed eminùs ea conspicati.

LIII. Quintum ab obiectis sumitur. Vetus enim Iudæos, Psal. 72. notus in Iudæa Dominus: Nouum etiam gentes respicit. Malachiæ cap. 1. Ab ortu solis vsq; ad occasum magnum est nomen meum in gentibus. Marci vltimo, Ite in vniuersum Mundum. Ephes. 3. Quod alijs ætatibus non innotuit filijs hominum vt nunc, retectum est: gentes esse cohæredes & concorpores, consorteſq; promissionis eius.

LIIII. Quibus quidem verbis non asseritur vocationem gentium veteri populo ignotam. Moses enim lib. 1. cap: 9. de illa sic scripsit. Alliciet Deus Iaphetum vt habitet in tabernaculis Semj: sed æquè notam atq; nobis fuisse, negatur.

LV. Certum enim est Iosephum in Ægypto, Danielem in Babylone multos eosq; summos monarchas ad veri Dei agnitionem vt Nabugodonosorem, Enilmerodach, Darium Medum & Cyrum Persam, vocasse.

LVI. Sextum à sponsorum & ministrorum diuersa conditione sumitur: illius enim minister erat Moses: huius vero filius Dei, in illo loquebatur Deus per Oracula, Visa, Somnia, Vrim & Tummin, denig; per ipsos Prophetas Spiritu Dei aflatos: in hoc nouo verò per filium suum, per Apostolos viua voce ab ipso Christo edoctos, & Ecclesiæ Christianæ doctores constitutos, loquutus est Heb. 1.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1047 4°

LVII. Rectè monent docti etiam falsum cognoscendum, vt eo veri maiorem cognitionem habeamus. Quare veræ doctrinæ de vtroq; Testamento à nobis iam expositæ, errores aliquot repugnantes subijciemus.

LVIII. Horum primus est eorum qui peccata & lapsus pecudum mactatione compensari, & Ceremonijs illis legalibus remissionem peccatorum & salutem æternam acquiri posse existimabant, quorum opinionem damnant sæpè prophetæ. Vt Psal. 50. Esaias vltimo. Qui iugulat bouem est ac si percuteret virum. Hoseæ 6. Misericordiam seu benignitatem volo & non sacrificium.

LIX. Secundus est eorum qui salutem æternam partim à lege, partim verò à gratia in Christo petendam censuere, quod Paulus Epistola ad Galatas scripta grauissimè refutat, quod etiam faciunt Apostoli in Synodo quæ Actorum 15. descripta est.

LX. Tertius est Cerinthi, Ebionis & Nazareorum, qui totam nomothesiam Mosis cum Euangelio seruandam contenderunt.

LXI. Quartus est, Marcionitarum, Manichæorum qui negarunt vnum eundemq; Deum vtriusq; testamenti autorem, quemadmodum de ipsis Tertulianus & Epiphanius scribunt.

LXII. Quintus est eorum, qui lege naturæ eos qui ante Mosen: lege Mosis, qui post legis promulgationem: lege demum Euangelica qui post natum Christum vixere, seruari opinantur, quod falsum est. Nam vna eademq; adipiscendæ salutis ratio iam inde vsq; ab initio conditi mundi fuit est & erit. Sextus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1047 4°

LXIII. Sextus est Rabinorum & recentiorum Iudæorum, qui negant venisse Messiam: sed expectant adhuc eiusmodi principem & Monarcham qui collapsum statum regni Iudaici instauret. Quod vanissimum esse somnium claris scripturæ testimonijs demonstrari potest, vt Gen. 49. Non desistet tribus à Iuda donec venerit Silo. Et Danielis 9. Abolebit sacrificium & munus: deinde per legiones detestationum desolantes vsq; ad consumationem, eamq; præcisam, per desolantes effundetur desolatio.

LXIIII. Septimus est eorum qui veteri populo tantum vmbras, nouo autem veritatem tribuunt. Quod falsissimum esse docet Paulus 1. Cor. 10. vbi patribus baptismum potumq; spiritualem tribuit. 2. Cor. 4. scribit eos habuisse eundem Spiritum. Et Augustinus: non audeo fideles huius temporis anteponere ijs per quos nobis hæc prophetata sunt.

LXV. Octauus est Porphyrij & eius complicum, qui Deum ob legem de mactandis pecudibus ab ipso latam, crudelitatis & feritatis accusant.

LXVI. Nonus est Pontificiorum qui in Missa sua verum, reale atq; externum sacrificium, quo sacerdos offert Deo corpus & sanguinem Christi pro viuis & mortuis, fieri existimant, cùm tantum vnicum externum noui Testamenti sacrificium sit, nempe Iesu Christi sacerdotis & victimæ mors & sacrificium, quemadmodum consentienter toti scripturæ docet Epistola ad Hebræos.

LXVII. Decimus est eorundem, qui Hierarchiam suam partim

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1047 4°

partim κακοζηλίᾳ Mosaiæ nomotheſiæ: partim verò Ethnicæ religionis imitatione, contra expreſſum Dei iuſſum, conſtituerunt.

LXVIII. Decimus eſt Sabbatariorum, qui Sabbati legem ex Moſis præſcripto ſtrictè ſeruandam cenſent, quos D. Lutherus piè atq; doctè refutauit.

LXIX. Vndecimus eſt eorum qui forenſes controuerſias Moſaicis politicis legibus finiendas & dirimendas opinantur, quæ ante annos non multos Petri Loreotj ſententia fuit.

LXX. Duodecimus eſt Anabaptiſtarum, qui aſſerunt populo Iſraëlitico terram Canaan citra omnem Cœleſtis immortalitatis ſpem incolendam eſſe conceſſam.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1047 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1047 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1047 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1047 4°